DIOECESANA
SYNODVS
TIBVRTINA

Ab Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.

D. CARDINALI ROMA

EPISCOPO TIBVRTINO.

Celebrata Die 18. Decembris. M.DC.XXXVI.



ROMAE,

Ex Officina Iacobi Facciotti. M. DC. XXXVII.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Lupus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Ord. Præd.

CONSTITVTIONES SYNODALES Ciuitatis, & Diœceſis Tiburtinæ.

TITVLVS I.

De Fide Catholica.

QVICVNQVE Eccleſiaſtici, ratione ſuorum Beneficiorum, ad profeſſionem Fidei tenentur: ſi eam rite non emiſerint infra Menſem, mulctentur aureis decem; Qui vero ad id tenentur ratione muneris, quod profitentur, vt Medici, & Ludi magiſtri, ſi interpellati neglexerint eam emittere, deferantur ad Reuerendiſſimum Epiſcopum, qui de ijs ſtatuet prout magis in Domino expedire videbitur.

Vt autem hæc Ciuitas, & tota Diœceſis omni Hęreſis ſuſpicione vacet, præter ea, quæ in Edicto Sancti Officij à Nobis, vel Vicario noſtro publicato continentur, mandamus omnibus quibus Animarum cura commiſſa eſt, vt nomina eorum, quos ſciuerint quoquo modo à recto Fidei tramitte aberrare, ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum ſtatim deferant: quod ſi aliunde de ijs ad Nos relatum fuerit, ſupradictorum Curatorum negligentia, qui delationem diſtulerint abſq; neceſſaria cauſa, vel indagare, & rimari Animarum ſibi commiſſarum mores neglexerint, ſeuere noſtro, & Vicarij noſtri arbitrio pu-

nientur; Sciant autem illos præcipue deferendos, qui Eccleſiaſticam Poteſtatem, ſacras Cæremonias, Cenſuras, Perſonas Eccleſiaſticas, loca ſacra, & cætera huiuſmodi contemnunt, illudunt, irrident.

TITVLVS II.

De Verbi Dei Concionatoribus.

PRęter ea, quæ a Sacro Conc. Tridentino de Verbi Dei Concionatoribus ſtatuuntur, monentur Concionatores vt Conciones ſuas Auditorum capacitati accomodent; & explicationi Myſteriorum Fidei ſiſtant: vt Auditores doceantur, & non detineantur inutiliter quæſtionibus, & narrationibus, quæ nihil ad rem faciunt. Pernicioſos mores orationis grauitate, & ſententiarum pondere magis, quam inanium Verborum ſtrepitu inſectentur; caueant tamen ne particulares perſonas, & præcipue ne Superiores Eccleſiaſticos, neq; ſeculares carpant; qui ſi aliquo particulari vitio notentur, vel ipſi Concionatores, priuatim eos corrigant, vel ad Epiſcopum deferant. Sunt multi Concionatores, qui, vt Auditoribus blandiantur, ſolent Concionibus admiſcere multa, quę riſum mouent: geſtus quoque incompoſitos, & à Mimis, & circulatoribus deſumptos imitari ſtudent: quæ quam indecora ſint, & huic Apoſtolico muneri pernicioſa, & Virum Religioſum dedeceant, nemo eſt qui non videat. Abſtineant igitur ab his leuitatibus, ne a munere vlterius in hac noſtra Diœceſi concionandi arceantur, præter

alias

alias pœnas, quas iuxta delicti qualitatem, & hujus noſtrę Conſtitutionis contrauentionem infligendas eſſe duxerimus. Moneantur a Parrochis de vitijs, quibus populi laborant: & vt ab Epiſcopo edoceri poſſint quibus maxime argumentis vti debeant ad ea conuellanda, & Virtutum ſemina iacienda, ipſum conueniant per aliquot dies ante quam ſe ad prędicationis locum transferant. Caueant Concionatores ne ita de ſuis eleemoſynis ſoliciti ſint, vt videantur populis Verbum Dei vendere, & auaritię arguantur: Monentur itaq; vt dum in Concione eleemoſynam commendant, dicant etiam quibus ſit applicanda; pro ſe ipſis autem nunquam, niſi in poſtrema Concione loquantur: & tunc ea, quæ decet, modeſtia, & minori contentione, quam cum pro alijs populum exorarunt; ſi ſecus fecerint, Verbi Dei prædicatione prohibeantur, & eleemoſyna careant.

TITVLVS III.

De Dotrina Chriſtiana.

SAlutare Chriſtianæ Doctrinæ Pueris, ac rudibus hominibus tradendę munus, quod ſine graui peccato negligi non poteſt, magno cum animi noſtri dolore in Diœceſi noſtra languere cognouimus: quare noſtrę ſolicitudinis eſſe cenſuimus grauiore aliquo ſtimulo Curatores Animarum vrgere, ne iure aliquando Dominus conqueratur. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: & Nos quidem pręſenti Decreto confidimus fore vt noſtram conſcientiam exoneremus: Viderint

rint

rint Parochi, & Dominici, Gregis Paſtores quomodo ſuę ſint ſatisfacturi, niſi diligentiſſime obſeruauerint infraſcripta.

Meminerint ſe ad hoc potiſſimum a Deo eſſe vocatos, vt Oues ſibi commiſſas ſalutari hoc pabulo nutriant. Parentes, & eos, quibus Puerorum cura commiſſa eſt, ſæpe publice, & priuatim admoneant de obligatione, ſub qua curare debent, vt ſuæ fidei concrediti Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis informentur, & per occaſionem Confeſſionis eoſdem interrogent an huic obligationi ſatisfecerint.

Deſcriptos habeant ſingulos ſuæ Parochiæ Pueros, ac Puellas a ſeptimo ſaltem vſque ad decimum quartum annum, quo toto tempore volumus eos a Parentibus, vel Tutoribus, vel Magiſtris ad Eccleſiam ſtatutis temporibus duci, vel mitti ad Chriſtianam Doctrinam diſcendam, ſub pœnis arbitrio noſtro imponendis illis, qui in re tanti momenti ſuorum ſalutis notabiliter immemores ſe ſe oſtenderint. Pueros ipſos, ac Puellas ad tam ſanctum, & neceſſarium ſtudium omni conatu, atq; induſtria, præmijs, munuſculis, honoribus alliciant.

Singulis ſaltem Dominicis ſigno peculiari Campanę Pueros, ac Puellas ad Eccleſiam conuocent, & in ea ſeparatim ſedere iubeant: & antequam docendi initium fiat per aliquos probatæ fidei, & diligentiæ cognoſcatur quinam è numero tam Puerorum, quam Puellarum deſiderentur, vt eodem die ad Parochum ipſorum nomina deferantur.

Sint etiam duo, vel plures, qui dum Chriſtiana Doctrina docetur ſilentium obſeruari, & alia omnia cum

ea,qua decet, modeſtia, & pietate tranſigi curent. Teneantur autem Parochi, & reliqui omnes Animarum Paſtores, ſingulis ſaltem Dominicis, vt dictum eſt, vel per ſe ipſos, niſi ſint legitime impediti, vel per alias idoneas perſonas, & nobis cognitas, tam ſanctum munus obire: quod ſi id per duos dies Dominicos continuos præſtare neglexerint, volumus vt ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrant ſuſpenſionem a Diuinis per decem dies duraturam.

TITVLVS IV.

De Parochis, & habentibus curam Animarum.

PRimum omnium admonendos eſſe Parochos de grauiſſimis obligationibus, quas habent tamquam Dominici Gregis Paſtores: Sunt autem, quantum è ſacris Canonibus Colligimus, quæ ſequuntur.

1 *Reſidere.*

2 *Pro ſuis Ouibus Sacrificium offerre, & orare.*

3 *Adminiſtrare Sacramenta.*

4 *Concionari, & Doctrinam Chriſtianam docere.*

5 *Bonum exemplum præbere.*

6 *Magnam habere curam pauperum, & miſerabilium perſonarum.*

7 *Frequenter viſitare infirmos.*

8 *Non admittere plura ſimul Beneficia curata, etiam tenuiſſima.*

9 *Corrigere publica vitia, & peccata ſuorum Subditorũ*

10 *Obedire Epiſcopo, & Synodalibus Conſtitutionibus.*

11 Nul-

11 *Nullis ſe negotijs, & muneribus immiſcere, quibus a Diuinis diſtrahantur: iuxta Conſtitutionem editam ab Eminentiſs. D. Card. Gozadino Anteceſſore noſtro in ſua Synodo: Cap. 13. & 14.*

Ad eadem, & omnia teneantur etiam Parochorum Socij, quocumque nomine vocentur.

TITVLVS V.

De Supellectili in ſingulis Eccleſijs Parochialibus comparanda.

VT Diuina officia ea, quæ requiritur, veneratione atq; dignitate tractentur, quę ſequuntur Supellectilia quiſque Parochus comparare ſtudeat, videlicet.

Tabernaculum, in quo Sanctiſſimum Sacramentum cuſtodiatur.

Conopœum, ſeu Baldachinum ſupra Tabernaculum expenſum.

Tentoriolum Sacramento ad ægrotos ferendo.

Tabernaculum ad vſum Proceſſionum.

Pixides duę.

Vela ſerico texta ad pixides tegendas.

Vela item duo ad Euchariſtiam ægris ferendam.

Lampades.

Altare lapideum.

Ligneus gradus, ſeu predella Altaris.

Cruces duæ.

Candelabra ſex.

Extinctoria duo.

Emun-

Emunctoria duo.
Tabella Secretorum.
Tabella Pacis.
Aulœa, ſiue Tapeta duo.
Tintinabula parua duo.
Crotala duo, quorum vſus eſt in maiori hebdomada.
Thuribulum.
Acerra.
Coclear.
Candelabrum Cerei Paſchalis.
Candelabrum triangulare ſuſtinendis candelis in maiori hebdomada.
Lectorilia duo.
Laternæ duæ haſtilibus impoſitæ, quæ Euchariſtiæ præferantur cum ad ægrotos affertur.
Crucifixus paruus ad ægrotos, cum eſt opus, ferendus.
Scamna prælonga quot Eccleſiæ ratio poſtulat, ad vſum Communionis.
Confeſſionalia duo.
Vexillum Sancti Eccleſiæ Patroni, pro Proceſſionibus.
Feretrum.
Cœnotaphium, ſeu Tumba.
Tabella Sacrarum Reliquiarum.
Tabella Indulgentiarum.
Tabella præcationum ante, & poſt Miſſam dicendarum.
Tripus cum patella, igni, candentibuſq; carbonibus ad vſum Eccleſiæ continendis.
Forcipes ferrei igni tractando.
Coclear ferreum carbonibus miniſtrandis.
Scopæ maiores ad verrenda pauimenta.

Scopulæ ex paluſtribus cannis ad veſtes tergendas.
Scala geſtatoria.
Ligo.
Batillum.
Malleolus.
Claui.
Perticæ.
Longurij.
Inſtrumentum ferreum ad conficiendas hoſtias.
Crepitarum paria duo.
Calices tres, Patenę tres.
Vrceolorum paria duo.
Peluiculæ duæ.
Vaſculum Aquæ benedictæ ad ægrotos ferendæ, cum ſuo aſperſorio.
Vas aliud Aquę benedictę geſtatorium ad vſum Eccleſiæ, cum ſuo aſperſorio:
Vaſa duo, è quibus libandum vinum purificandi cauſa Populo in communione præbeatur.
Lagenæ duæ, quibus ipſum vinum afferatur.
Vaſa ſacrorum Oleorum terna, literis diſtincta, quibus aliud, ab alio diſcernatur.
Vaſa alia, in quibus olea ipſa ſacra aſſeruentur.
Capſula maior magnis hoſtijs aſſeruandis.
Capſula parua, circulari forma, hoſtijs circumciſis aſſeruandis.
Capſula Corporalibus condendis.
Vas æreum ad calices, patenas, corporalia, & purificatoria lauanda.
Vrceus vnde oleum in lampades fundatur.

Map-

Mappę, ſeu Tobaliæ maiores tres.
Mappę minores ſex.
Mappæ pro Altari Sacriſtiæ tres.
Mappę oblongę, ad vſum communicandi populum, quatuor.
Mappæ paruæ tenuiores, ſupponendæ Euchariſtiæ dum miniſtratur, tres.
Mantilia, tergendis manibus in Sacriſtia, quatuor.
Amictus ſex.
Albę ſex.
Corporalia quatuor.
Purificatoria decem.
Sudariola tergendis manibus in Miſſa, decem.
Sudariola, abſtergendo baptizatorum capiti, quatuor.
Sudariola, emungendis naribus ad Altare, ſex.
Tuniculę candidæ cum ſuis globulis, ſuſpendendis cingulo ſudariolis, ſex.
Sacculi linei pro vnoquoq; Calice inuoluendo.
Cottæ tres.
Cingula candida quinque.
Palia Altaris quinque, quinq; colorum, Albi, Nigri, Rubri, Violacei, Viridis.
Planetæ quinque, quinque colorum.
Stolæ quinque, quinque colorum.
Manipuli quinque, quinque colorum.
Pluuiales quinque, quinque colorum
Dalmaticę Diaconales quinque, quinque colorum.
Dalmaticæ Subdiaconales quinque, quinque colorum.
Vela ſerica tegendo calici quinque, quinque colorum.
Tegumenta libri Miſſalis quinque, quinque colorum.

Sacculi Corporaliũ,ſeu Burſę quinque, quinque colorũ.
Signacula Miſſalis quina,quinque colorum.
Puluinaria Miſſalis quina, quinque colorum.
Vela ſerica,tegendę in Sacrificio Patenę,quinque, quinque colorum.
Tapetum,ſeu laneum ſtragulum tegendo Altaris gradui,ſeu predellæ.
Tapetum,ſeu ſtragulum Sedili ornando, in quo Sacerdos conſidet,cum ſolemniter celebret.
Stragulum funebre, quòd Cadaueri, cum efferendum eſt ſubſternitur.
Stragulum funebre,quo Cadauer tegitur.
Miſſalia duo.
Breuiaria magna duo.
Rituale,
Sacerdotale.
Cathechiſmus Romanus.
Biblia ſacra.
Calendarium.
Antiphonarium.
Martyrologium.
Concilium Tridentinum.
Synodus Diœceſana,
Liber Baptizatorum.
Liber Confirmatorum,
Liber Matrimoniorum.
Liber eorum,qui in Paſchate communicarunt.
Liber de ſtatu Animarum.
Liber mortuorum,ſepultorumq;
Liber deſcriptionis Bonorum Eccleſiæ.

Quæ

Quæ omnia ſi aliquis Parochus minus ſibi comparare præ inopia,& paupertate poſſit, certiorem hac de re faciet Epiſcopum,qui ſtatuet quid agendum.

TITVLVS VI.

De Sacramentis in genere.

CVrent Parochi ne populus ignoret, quæ ſcire tenetur de Sacramentis.Idcircò moneatur Aquam, quæ in Baptiſmi fonte aſſeruatur,item Sacra Olea, quæ ſuis condita loculis cum cura habentur, Sacramenta non eſſe; ſed ex ijs Sacramenta confici Baptiſmi, & Confirmationis,atq; Extremæ vnctionis: eaq; tunc demum Sacramenti naturam, nomenq; adipiſci, cum ab eorum Miniſtro alteri applicantur: Sacramenta enim omnia tantum vſurpatione,atq; vſu conflantur, & efficiuntur: vſu amoto nulla exiſtunt; Excepto Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento:nam ſtatim ac Hoſtia ritè conſecrata eſt, Sacramentum concipit,& tandiù durat Sacramentum, quandiù illæ durabunt ſpecies. Quandocunque igitur commodè fieri poterit in adminiſtratione cuiuslibet Sacramenti breuiſſimè ex præſcripto Cathechiſmi Romani,præſentes monebunt de eius virtute, & efficacia:nec grauentur ſæpius eadem repetere, vt populorum,rudium præſertim, menti, ac memoriæ inhæreant, & erga ea magis afficiantur.Curent præterea Parochi, vt decenti apparatu, munditia exquiſita, & exactiſſimis Cæremonijs habeantur, & miniſtrentur: augent enim pietatem, & venerationem adeuntium, ipſa Miniſtrántium religio, & res ſanctè, decorèq; tractata.

Non

Non alios habeant ritus, quam vſitatos ab Eccleſia Romana, & preſcriptos in libello, qui inſcribitur: *Rituale Romanum*, quem librum omnes habeant.

Caueant ne Sacramentum vllum miniſtrent, quin talarem tunicam habeant cum ſuper Pelliceo mundo, & Stola coloris tempori, & Sacramento congruentis. Sacramentum autem Euchariſtiæ ad infirmos deferant ſemper cum Pluuiali, niſi a Ciuitate, vel Caſtro exeundum ſit; nullum vero Sacramentum miniſtrent extra Eccleſiam, excepto infirmitatis caſu.

Hortentur Parochi populos ſibi commiſſos ad Sacramentorum frequentiam: ipſi autem præſto ſint omnibus petentibus, quos etiam excipient comiter, & blandè, memores ſummæ Charitatis Chriſti, qui ipſa Sacromenta pro noſtra, humaniq; generis ſalute inſtituit. Si quis Parochus auſus fuerit petentes Sacramenta repellere, vel in aliud tempus reijcere, cum ſtatim ea miniſtrare poſſit, ſeuerè a Nobis, vel Vicario noſtro punietur.

TITVLVS VII.

De Baptiſmo.

PAtrini, ac Matrinæ, qui adhibentur in Sacramento Baptiſmi, non admittantur, qui ignorant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, atq; Præcepta Decalogi: & Parochi antequam procedant ad baptizandum, eos audient ſecreto recitantes, niſi alias eos audierint: hac enim ratione

ſci-

ſcimus,multos neceſſaria ad ſalutem didiciſſe. Præterea Parochus eos moneat de affinitate, quam cum Infante, eiuſq; Patre, ac Matre contraxerunt, quæ eiuſmodi eſt, vt, & Matrimonium inter ipſos contrahi impediat, & contractum dirimat. Clerici, neque Seculares, neque Regulares Patrini munere fungantur,nobis inconſultis: Parochi vero nunquam, niſi neceſſitate cogente, munus baptizandi Regularibus delegabunt.

Inſtruant Parochi Obſtretices ſuæ Parochiæ, eaſq; doceant omnia, quæ ſcire debent, vt ritè, & rectè Sacramentum Baptiſmi miniſtrent. Verba igitur, quibus Sacramentum efficitur memoria probè teneant, eaq; ſciant, non interruptè, ſed continenter eſſe pronuncianda: nec ab vno ea proferri,ab alio aquam fundi poſſe; ſed neceſſario ab eodem vtrunq; peragendum. Item non ante, aut poſt prolata verba fundendam aquam; ſed eodem tempore, ſic,vt neq; dictio prius abſoluatur, quam cæpta fundi ſit aqua, neq; ea demum effuſa, oratio inchoetur. Sciant quoq; non quamuis Corporis partem,ſed Caput tantum eſſe proluendum: idq; quando fieri poteſt, terna effuſione, ſic, vt vna Patris, altera Filij, tertia Spiritus Sancti nomini reſpondeat. Ne illud quidem ignorent.fœtum in vtero Matris adhuc latentem baptizari non poſſe; ſi tamen Caput extaret, & ex parturiendi difficultate laboret Mater, Pueroq; imminens periculum vrgeret,eum baptizent: nec, ſi vixerit, iterandum Baptiſmum fuerit; ſecus ſi membrum aliud emiſſum foret,quod liceret quidem,inſtante periculo, ſolemnibus verbis abluere; ſed ſi euaſerit Infans baptizandus iterum erit, cum ea ſcilicet conditione,

Si es baptizatus, te iterum non baptizo; Si non baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, &c.

Item quia Baptiſmi Sacramento ablui nemo poteſt niſi viuens, ſi pars modo corporis extet, & ignoretur an extinctus Infans in vtero ſit, in eo ipſo baptizando membro, quod eminet, ea conditio adhibeatur, *Si mortuus non es, Ego te baptizo, &c.* Poſtremo id quoque eaſdem Obſtetrices moneant Parochi, ne paſſim baptizandis Pueris manus admoueant; ſed tantum cum periculum vitæ imminere ita videtur, vt differri non poſſe Baptiſmum exiſtiment: Alioquin Eccleſiæ ritum, & ſolemnes Cæremonias omittere ſine crimine non licet.

Baptiſmus non differatur vltra nonum diem, ſub Excommunicationis pœna Parentibus, alijsq; quibus ea cura incumbit: nec extra Eccleſiam a Parocho hoc Sacramentum ſtatutis, & ſolemnibus Cæremonijs miniſtretur: quod ſi domi baptizandus fuerit Puer ex aliqua neceſſitate, ſatis erit præſcripta forma ſubſtantiali vti, videlicet, *Ego te baptizo, &c.*

Habeant Parochi librum Baptizatorum ad præſcriptum Romani Ritualis, eiuſq; exemplum ſingulis annis ad Cancellariam Epiſcopalem deferatur.

Parentes, alijq; ad quos ea cura pertinet, Infantes ſecum in eodem cubili non habeant donec biennium expleuerint, ſub Excommunicationis pœna, quæ ſingulis annis a Parocho inter Miſſarum ſolemnia populis denuntietur.

TI-

TITVLVS VIII.

De Pœnitentia.

PRoprius Sacra, Sacramentaq; omnia tractandi, atq; adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, extra quam pœnitentium, & maximè Fœminarum, confeſſiones audiri ita prohibemus, vt qui alibi, quam in Eccleſia ſacris Confeſſionibus audiendis operam dederit, excepto infirmitatis caſu, is ſciat graues ſe pœnas arbitrio noſtro eſſe daturum. Sed nec in Eccleſia quidem mulieres, cuiuſcunq; ætatis, aut generis ſint, admitti ad Confeſſionem volumus, vel mane ante Solis ortum, vel veſperi poſt occaſum.

Sedes confeſſionales fiant ad exemplum Sedis, quæ de mandato noſtro conſtructa fuit, & poſita in Eccleſia Cathedrali, vt ſit forma, & exemplar cæterarum deinceps faciendarum. Affigatur intra Sedem Bulla, quæ quotannis a Sanctiſſimo Pontifice in die Cenæ Domini publicatur, & Memoriale Confeſſariorum de mandato noſtro editum.

Sacerdos ſecularis ad audiendas Confeſſiones non aliter accedat; quam Superpelliceo indutus, Stola a collo pendente, & Sacerdotali Birreto. Regulares verò eum habitum tam ſancto miniſterio adhibeant, quo ex diſciplinæ, ac Regulę ſuæ præſcripto, in Choro Diuina Officia celebrantes, vti conſueuerunt, aut debent.

Medici in ægrotorum viſitatione Bullam Pij Papę Quinti obſeruent.

Caueant Confeſſores, tam ſeculares, quam Regula-

res, ne quid a Pœnitentibus, etiam ſponte dantibus, intuitu Confeſſionis accipiant, neque pecuniarias pœnas eis imponant, niſi ratio pœnitentis ita exigere viſa fuerit: quo caſu nec ipſi Confeſſores curam eleemoſynas erogandi aſſumant: Siquis, ſecus fecerit, præter alias pœnas, quas arbitrio noſtro, Vicarijq; noſtri ſubibit, ſit ipſo facto, ab hoc munere ſuſpenſus.

Confeſſores Diœceſis noſtrę omnes admonitos volumus, vt ſi quando ijs facultas tribuatur Pœnitentium vota commutandi, id magna ratione, & conſideratione faciant. Illud in primis ſpectent, vt paribus ea, aut maioribus religionis, & pietatis officijs, operibuſq; ad Dei cultum, atq; honorem pariter pertinentibus compenſentur: in eiuſq; rei æſtimatione, & ſumptuum, & laborum, & incommodorum omnium, quæ perpeſſurus pœnitens in voto perſoluendo fuiſſet, rationem ducant.

Nec ſint immemores pœnarum, contentarum in Conſtitutione fel. rec. Gregorij xv. contra ſollicitantes in Confeſſione promulgata, cuius tenorem, ad omnem ignorantiæ prætextum excludendum, hic regiſtramus.

Ad perpetuam rei memoriam. Vniuerſi Dominici gregis curam, quanquam immeriti, cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulo inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conſeruetur immunis: multoq; maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab ijs auertatur quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne, quod Euangelica ſcripta nos admouent, ſale infatuato, non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltra,

ni-

niſi mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandum ſeculus, quod non ſolum inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur: videlicet, vt aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas Confeſſiones deputatus Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſolicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina, venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti medico, infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis Animarum reddatur: idcirco Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diaboli inſidijs arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantum ex Alto conceditur, prouidendum duximus. Aliàs ſiquidem a fel. rec. Pio Papa iiij. prædeceſſore Noſtro emanarunt literæ tenoris ſequentis, videlicet.

Pius Papa iiij Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cum, ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atq; etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curam Animarum habentes, ſiue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis Confeſſionibus pęnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pęnitentiæ in actu audiendi Confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro IESV CHRISTO iniuriam facere vereantur: Mulieres videlicet pęnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt Confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori

peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & Animarum perniciem, Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequentes, quod qui de Fide Catholica rectè ſentiunt Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant Fraternitati tuę, de cuius eximia pietate, virtute, atq; doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios a te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diępceſium de prę- miſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quam quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & prępeminentię exiſtant, tam ſuper pręmiſſis, quam ſuper Fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæreſi, quouis modo ſuſpectos, a Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita pręcedente degradatione, ſecularis Iudicis arbitrio, puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudini-

bus

bus, priuilegijs, quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die xvj Aprilis M.D.LXI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Igitur, vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbiq; locorum inuiolabiliter obſeruentur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorũ S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum, præinſertas literas huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & cõfirmamus, illiſq, omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, illaſq; non ſolum in prædictis Regnis Hiſpaniarũ; ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de pæna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus; quod omnes, & ſinguli Sacerdotes tam ſeculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, inſtitutorum, ſocietatum, & Congregationum Regulares cuiuſcunque dignitatis, & praeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcunque illę ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe,

[illegible]

ſiue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocunq; vbi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſolicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, & Dominiorum, & locorum vniuerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemq; Diœceſibus, & Territorij, per has noſtras literas, etiam priuatiuè quo ad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis Fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officij Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, priuilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circunſtantijs, ſuſpenſionis ab executione ordinis, priuationis Beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunq; ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſq; pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſeculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum

lictum

lictum tam enorme, & Eccleſiæ, Dei tam pernicioſum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſæculari, vt præfertur Reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſupra, ſolicitatos moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinarijs prædictis: quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunicandū Confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes, vt ſupra, ijdē locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ: quodq; eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad Valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuiq; perſonaliter intimatæ fuiſſent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, Die xxx. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Caſus

Caſus reſeruati .

1 HOmicidium voluntarium præmeditatum.
2 Percuſſio Patris, & Matris.
3 Prouocatio abortus, etiam illo non ſecuto.
4 Detentio Infantium in Lecto.
5 Sodomia, etiam cum Fœminis, etiam pro prima vece, quando præmeditatur.
6 Inceſtus in primo, & ſecundo gradu.

TITVLVS IX.

De Euchariſtiæ Sacramento .

VT in die Paſchæ iniri ratio poſſit eorum, qui Euchariſtiam ſuſceperint, mandamus vt vnuſquiſque tam Viri, quam Fęminę ſcriptum in parua ſchedula nomen, cognomenq; ſuum afferant, vna cum fide Confeſſarij a Nobis approbati, qui eis Sacramentum Pęnitentiæ miniſtrauerit, iuxta formam a Nobis traditam: quas ſchedulas ſimul iunctas tradant Clerico, qui negocio huic ſingulorum nomina colligendi præpoſitus fuerit, qui Clericus præcedat Sacerdotem miniſtrantem Euchariſtiam: itaut ſtatim, ac communicari volens ſchedulam tradiderit, Euchariſtiam ſumat. Accedentes ſine ſupradictis ſchedulis, non admittantur.

Si quis domicilium in duabus Parochijs habebit, ab eo de cuius manu Sacramentum ſumpſerit, ſcriptam alteri Parocho fidem adimpleti præcepti afferat.

Si

Si quis vero a Parochia Paſchali tempore abſuerit; aut ſuum Parochum de adimpleto præcepto doceat, aut intra octo dies ſatisfaciat, ſub pœnis arbitrio noſtro, &c. Regularibus vero, ne Paſchali tempore, ſine proprij Parochi auctoritate, cuiquam Euchariſtiam impartiri, ſub Excommunicationis pœna ipſo facto ſubeunda, interdictum eſſe decernimus. Tempus autem Paſchale a Dominica Palmarum incluſiuè incipere, & terminare in Dominicam in Albis incluſiuè pariter declaramus.

Parochi curent inuiſere ſedula diligentia ægrotos ſuæ Parochiæ, nec expectabunt, vt euocentur: Cum ijs agent de Animæ ſalute, ac totis viribus curabunt, vt quam primum peccata confiteantur, nec grauentur eis Sacramentum Euchariſtiæ afferre, etiam ſi mortis proximæ eis periculum non immineat: modo in eis enixam communicandi voluntatem, & deuotionem perſpexerint. Quod ſi contigerit, vt ægrotus aliquis moriatur ſine Sacramentis negligentia Parochi, etiam ſi non fuerit a domeſticis vocatus, grauiter punietur.

In deferenda ad ægrotos Euchariſtia Parochi ſumma religione ſtudeāt obſeruare, quę in Rituali Romano tradūtur: ſiquid in hoc peccatū fuerit, pęna non carebit.

TITVLVS X.

De Sacramento Ordinis.

QVod Pius Quintus lege ſanciuit, nemo Regularis Sacris Ordinibus initietur, qui fidem non fecerit editā ab ſe ſuæ diſciplinæ, ac Religionis

profeſſionem, quiq; iuratus ſuo chyrographo non affirmauerit eam ab ſe profeſſionem ſponte ſuſceptam, ratamq; habitam: quod chyrographum in Archiuio noſtro aſſeruari mandamus. Præterea ijdem Regulares, qui nos Ordinum cauſa adierint, literas a ſuis Superioribus afferant, quæ de iuſta ipſorum ætate, de Natalibus, de morum, atq; vitę integritate, ac de literarum ſcientia teſtimonium exhibeant.

Si quis ex noſtris Clericis Literas dimiſſorias a Nobis obtinuerit, vt Ordines ab alio Epiſcopo ſuſcipiat, Cãcellarius eas non expediat, niſi prius Vicario noſtro conſtiterit eum in prioris Ordinis exercitatione cum laude eſſe verſatum. Præterea in dictis literis perſcribatur tempus, intra quod eum Ordinem ſuſcipiat, quo tranſacto, Literæ nullius ſint ponderis. Si quis autem Clericus extraneus ſui Epiſcopi Literas ſine temporis præfixione Nobis reddiderit, ſint recentes, videlicet trium ad ſummum menſium.

Clerici peregrini, atq; ignoti, maxime Sacerdotes, non permitantur exercere Ordines, quibus ſe initiatos eſſe aſſerunt, neque in Regularium Eccleſijs, niſi eorum Literæ dimiſſoriæ a Vicario noſtro Generali, vel a Foraneis approbatæ fuerint.

Examinatores Synodales eligantur qui doctrina, & probitate magis idonei videbũtur, qui iuramẽtũ de munere ſuo fideliter exercendo his verbis conceptũ emittẽt.

Ego N. iuro me mandatum mihi Examinatoris munus fideliter, atq; integrè, omni priuato ſtudio, affectuq; poſt habito, ex Tridentini Concilij præſcripto executurum: ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Nemo

Nemo autem electorum ad Examen accedat, niſi a Nobis, vel Vicario noſtro vocatus: non enim ſemper expedit omnes adeſſe. Examen pręcedat Oratio, *Deus qui corda Fidelium*.

TITVLVS XI.

De Sacramento Matrimonij.

MAtrimoniorum libertati, vt conſulamus, præcipimus Parochis, vt antequam Matrimonia ex Concilij Triden. formula in Eccleſia denuncient, ab ipſiſmet Sponſis petant, an ſe denunciari velint: Sponſam in conſpectu quidem parentum, aut propinquorum, ſed ſeorſim tamen, ne alij audiant, percunctentur.

Si iuſta aliqua ſuſpicio Parochum inceſſerit, callida alicuius improbitate Matrimonium impediri poſſe, tunc ei liceat vna tantum facta denunciatione, & ne illa quidem, ſi vehementiſſimæ fuerint ſuſpiciones, Matrimonium celebrare; ſed non prius concumbant vna Sponſi, quam ipſæ tres denunciationes ritè perficiantur, niſi aliud Nobis viſum fuerit, cauſas autem nobis quam primùm ſignificet. Quod ſi vel in denunciationibus poſtponendis, vel in toto Matrimoni j negocio dolosè quid geſtum ab eo fuiſſe conuincetur, pęnas arbitrio noſtro graues dabit.

Ex Parochorũ, & aliorum piorum virorum relationibus intelleximus, ex commercio Sponſorum ante contractum Matrimonium, & poſt contractum Matrimo-

trimonium, ex longa mora traducendi Sponſam ad Domum Viri, magna oriori peccata contra bonum Matrimonij, quibus occurrere volentes opportunis rimedijs; Iubemus Parochum tandiù differre denunciationes, donec a Sponſis, Sponſorumq; Parentibus cognouerit Dotem, aliaq; omnia inſtructa eſſe ad Matrimonium perficiendum: ac interim magna diligentia cuſtodiri Sponſos, & ab omni conſuetudine arceri iubeat. In die poſtremæ denunciationis Matrimonium Parochus non celebret, vt liberum ſit cuicunq; Matrimonij impedimenta ad ipſum deferre; ſed poſtridie. Antequam autem Sponſos iuxta Rituale Romanum coniungat, Sponſum interrogabit, an ſit paratus Sponſam eodem die, vel ſequenti ad propriam domum traducere, ad effectum Matrimonium conſumandi: ſi negabit; ad vlteriora non progredietur; ſi promiſerit, cæteris peractis, tunc Sponſos monebit, vt ita exequantur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ nobis reſeruatæ. Quod ſi negligenter ſe geſſerint Parochi in huius Decreti executione, ſint eo ipſo a Diuinis ſuſpenſi, donec a Nobiſmetipſis veniam impetrauerint.

Matrimonium non in priuatis ædibus, verum in Eccleſia celebrabit Parochus, niſi aliud Nobis, vel Vicario noſtro viſum fuerit: & de mane, ſi fieri poterit, poſt peractum Sacrum proprium de Sponſis, cui interſint Sponſi, eoſq; Parochus magnopere hortabitur, vt ſe Confeſſione Sacramentali, & Sacræ Euchariſtiæ perceptione procurent.

Si alius Sacerdos noſtra, vel Parochi licentia adhibebitur, ſciat ſe ad omnia teneri, ad quæ proprius Parochus

chus tenetur:& præterea fidem de omnibus ordine geſtis ad proprium Parochum mittet, referendam in Libmu Matrimoniorum.

Aduenas, & peregrinos ne iungant Parochi, niſi Nobis conſultis.

Liber Matrimoniorum ad Archiuium Epiſcopale deferatur per Parochos ſingulis annis: ipſi autem exemplum apud ſe diligenter cuſtodiant.

TITVLVS XII.

De Sacrificio Miſſa.

QVi ad Sacerdotium promouendus eſt, per aliquot meſes antea ab aliquo Sacerdote benè perito Cæremoniarum, curet in Sacrificij diſciplina inſtrui, periculum ſui facturus coram noſtro Cæremoniarum Magiſtro, vel alio Sacerdote a nobis deputãdo, qui fidem habilitatis ordinandi faciet: & nihilominus iam ordinatus ad Sacrificandum non accedet, niſi habita à Nobis licentia.

Primam Miſſam celebraturus generalem ſuorum peccatorum Confeſſionem faciet cum aliquo ex Confeſſarijs ad hoc præcipuè a Nobis deſignatis, quorum erit cura, nouum Sacerdotem ad tanti muneris ſublimitàtem varijs ſpiritualibus exercitijs præparare. Nouam autem Miſſam non conuiuijs, ludis, tubis, non demum collationibus; ſed ſumma humilitate, ac deuotione celebrari volumus: qui ſecus fecerit punietur.

Sacerdotes omnes ex præſcripto Concilij Tridentini, ſaltem Dominicis, & feſtis diebus Diuinam rem faciant

ciant. Parochos vero ter ſaltem in hebdomada in ſua Parochiali Eccleſia celebrare iubemus.

Vt piæ Defunctorum voluntati, oneribuſq; Beneficiorum ſatisfiat, mandamus vt in vnaquaq; Eccleſia liber habeatur, ac aſſeruetur in Sacriſtia, in quo vnuſquiſq, quo die, & in quo Altari Sacrum, quod debebat, fecerit, ſua manu notet, cum Anno, & menſe. Qui hoc libro non probauerit ſe oneri, ad quod tenebatur, ſatisfeciſſe, adimplere compelletur, & pęnam arbitrio noſtro luet.

Nemo ſiue Clericus, ſiue Laicus in ſecularibus Eccleſijs, aut Sacellis, aut Oratorijs, quamuis à Nobis viſa, & approbata ſint, celebrari permittat, niſi cui a Nobis eius rei poteſtas facta fuerit, quę ſcripto contineatur.

TITVLVS XIII.

De cultu dierum Feſtorum.

STatuimus, vt Dies feſti, in quibus Miſſa audienda, & ab operibus ſeruilibus vacandum eſt, ſint ſolum ſequentes. Primum quidem qui vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine obſeruantur, videlicet.

Ian.	1	Circumcionis Domini.
	6	Epiphaniæ.
Feb.	2	Purificationis B. M.V.
	24	S. Matthiæ Apoſtoli.
Mar.	25	Annunciationis B.M. V.
Maij	1	SS. Philippi, & Iacobi Apoſtolorum.
	3	Inuentionis Sanctæ Crucis.

Iun.

Iun.	24	Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.
	29	SS.Petri, & Pauli Apoſtolorum.
Iul.	25	S. Iacobi Apoſtoli.
	10	S.Laurentij Martyris.
Aug.	15	Aſſumptionis B. M. V.
	25	S Bartholomei Apoſtoli.
	8	Natiuitatis B.M. V.
Sept.	21	S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
	29	Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Oct.	28	SS.Simonis,& Iudæ Apoſtolorum.
	1	Feſtum Omnium Sanctorum.
Nou.	11	S.Martini Epiſcopi.
	30	S.Andreæ Apoſtoli.
	21	S.Thomæ Apoſtoli.
	25	Natiuitatis D.N.Ieſu Chriſti.
	26	S. Stephani Prothomartyris.
Dec.	27	S.Ioannis Apoſtoli.
	28	SS.Innocentium.
	31	S. Silueſtri Papæ.

Deinde vero omnes dies Dominici: Duo dies poſt Dominicam Paſchæ Reſurrectionis: Aſcenſio D.N. Ieſu Chriſti: Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus: Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Præterea omnes illi dies, qui in ſingulis locis ex conſuetudine habente vim præcepti obſeruari ſolent. v. g. quia ſunt dedicati Sancto Titulari Eccleſiæ, ſeu loci Patrono.

Neque tamen propterea intendimus prohibere quominus celebrentur alia feſta, ſicuti laudabiliter celebrari intelligimus, tam in Ciuitate Noſtra Tiburtina,

na, quam in Diœceſi, nonnulla ex deuotione; ſed ſolum intelligi volumus illos, qui in huiuſmodi, & ſimilibus feſtis, quæ vniuerſalis Eccleſia, vel loca particularia noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis non obſeruant tanquam de præcepto, illos inquam, qui non abſtinebunt ab operibus ſeruilibus, non incurſuros neque peccatum, neque vllam pœnam.

Feſtis ergo de pręcepto ſub pęnis noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis arbitrio imponendis, in generali omnia opera ſeruilia fieri prohibemus: in particulari autem prohibentur mercatus, nundinæ, & quæ ad nundinarum apparatum pertinent: Contractus omnes, exceptis iure permiſſis: vecturæ rerum quarumcunq;, ſaltationes, tripudia, chorеę, haſtiludia, Comedię, ludi ſcenici, ſeu theatrales, Iudiciorum ſtrepitus, conuentus Laicorum, dum Diuina officia peraguntur. Hæc autem, & huiuſmodi opera ſeruilia ita prohibemus, vt nulli liceat illa exercere, neq; per ſe, neq; per famulos, aut filiosfamilias: & in caſu contrauentionis volumus puniri Dominos, & Parentes.

TITVLVS XIV.

De obſeruatione Ieiunij.

NE per ignorantiam, vel obliuionem Ieiunia non obſeruentur, Statuimus. vt pridie diei, quo de præcepto ieiunandum eſt, excepto tempore Quadrageſimali, veſperi circa mediam noctis horam detur peculiare aliquod ſignum cum Campana, in Ciuitate

ab

ab Eccleſia Cathedrali, in Diœceſi ab Eccleſijs Parochialibus: præmonito populo de talis ſigni ſignificatione. Idem ſignum detur ante mediam noctem antecedentem diem Cinerum per mediam horam: ita vt omnes intelligant, finito Campanæ pulſu incipere tempus ieiunij, & abſtinendi à cibis prohibitis.

TITVLVS XV.

De Indulgentijs.

NVllæ in poſterum Indulgentiæ publicentur, quæ a Nobis, vel Vicario noſtro viſæ non fuerint, ſiue in Secularibus, ſiue in Regularibus *Eccleſijs*, vt tempus, rationemq; eas publicandi ſtatuamus. Quæ autem publicatæ ſunt, mandamus recognoſci a Vicario noſtro, & duobus Theologis, quos nominabimur: & interim neque ipſa Indulgentiarum Diplomata, neq; Indulgentiæ in foribus Eccleſiarum exponantur, Capſam vero, quæ ſub Indulgentiarum Diplomate poni ſolet ad colligendas eleemoſynas, omnino prohibemus: ne putent populi ad conſequendas Indulgentias neceſſario eleemoſynam eſſe faciendam.

TITVLVS XVI.

De Horis Canonicis, & Diuinorum Officiorum celebratione.

HOræ Canonicæ non ſolum in Eccleſia Cathedrali quotidie publicè recitentur; verum etiam in alijs Eccleſijs Diœceſis, in illis diebus, quibus hactenus recitari conſuetum eſt: vel omnes, vel aliquæ. Et vehementer in Domino hortamur Prępoſitos, Archipresbyteros, & Curatos, vt ſaltem in ſuis Eccleſijs omnibus diebus feſtis de præcepto, & deuotione illius loci Miſſa, & Veſperæ decantentur ad ſpiritualem populi conſolationem. Clerici, qui illis Eccleſijs adſcripti ſunt, ſi prædictis Officijs Miſſæ, & Veſperarum intereſſe neglexerint, qualibet vice vnius iulij pœna puniantur, Pauperibus diſtribuenda per Vicarium foraneum.

Præter Calendarium Romanum, iuxta cuius ritum in Ciuitate, & tota Diœceſi noſtra volumus Officia Diuina celebrari, ſingulæ Eccleſiæ, tam Cathedralis, quam Diœceſis, habeant indicem, ſiue Tabellam peculiarium feſtorum, quæ ea laudabili conſuetudine, vel voti obligatione, vel alio titulo legitimo, aut a nobis approbando celebrari conſueuerunt.

Non ſolum qui Horis Canonicis ſtatutis temporibus non interfuerint, iuxta ſtilum Eccleſiæ punientur; ſed etiam quicunq; in Choro antequam Diuina inchoentur ſilentium non obſeruauerint, aut aliena ſub-

ſellia occupauerint, aut corporis habitu, vel geſtu, vel riſu minus modeſtè, & decorè ſe geſſerint, aut dum alij pſallunt, literas, libros, aliaue ſcripta legerint, aut cum aſſeſſoribus confabulati fuerint, aut pileum Clericalem, & Veſtes talares, & congruum habitum non geſtauerint, aut chyrothecis vſi fuerint, aut dum alij alta voce canunt, ipſi priuatim apud ſe horas legerint, ſeuerè per Chori Præfectum puniantur, & Punctatores, ad eiuſdem Præfecti iuſſum, delinquentes in aliquo ex ſupradictis, punctare ſub eadem pœna teneantur.

TITVLVS XVII.

De Proceſſionibus.

AD Proceſſiones tam ordinarias, quam extraordinarias a Nobis, vel Vicario noſtro Generali indicendas, quæ, ſi fuerint generales, ſemper à digniori Eccleſia proficiſci debebunt, & ordinari in Ciuitate quidem a Magiſtro Ceremoniarum, in Diœceſi vero à Vicario foraneo, vel eius ſubſtituto: Nullus Clericorum ire recuſet, ſub pœnis, vbi non ſunt punctatores, arbitrio noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis declarandis: quoties autem Proceſſiones extra locorum portas fieri contigerit, pœnam duplicari mandamus.

In Proceſſionibus Clerici vtantur veſtibus talaribus ſuperpelliceo, & pileo Clericali, niſi temporis inclementia obſtet: nec deferantur cuiuſuis generis ſigna, vexilla, Cruces, Rotę, Lanceæ, vel alia inſtrumenta martyriorum, quam quæ a Nobis, vel Vicario noſtro

fuerint apprubata nec in vijs aliquę Repræſentationes fiant.

TITVLVS XVIII.

De Punctaturis.

IN primis ſtatuendum eſt in quibus caſibus aliqui non punctentur, licet Diuinis Officijs non interſint, vnde conſtabit, qui nam ſint punctandi: Secundo declaranda eſt ratio in punctandis abſentibus habenda.

Primò non punctantur, qui abſunt temporibus, & diebus ſibi ad vacandum conceſſis.

Secundò, exiſtentes in Ciuitate, ſi tali morbo detineantur, vt ad Chorum ire nequeant, non punctantur, dummodo eodem die Domo non exeant: Vtrum autem morbus ſit talis, vt plurimum ipſorum conſcientię ſtandum eſt: aliquando tamen ſi de aliquo rationabilis ſuſpicio eſſet, quod morbum ſimulaſſet, huic iuramentum dari poterit a Vicario Generali ad inſtantiam Præfecti Chori, vel Punctatorum.

Trrtiò, exiſtentes extra Ciuitatem, ſi aſſerant ſe morbo fuiſſe detentos, non punctantur; ſed hi antequam punctaturæ recognoſcantur, teſtimonium authenticum cum debita legalitate proferre debebunt, in quo Medicus cum iuramento affirmet, illum à tali die vſque ad talem diem morbo ita laborauiſſe, vt Choro intereſſe minimè potuerit.

Quarto, Qui cantant Miſſam Conuentualem, non punctantur, licet abſin t à Choro vna Hora, tantum, verbi

verbi gratia, Tertia, quę præcedit, & quę ſubſequitur ipſam Miſſam Conuentualem, v.g. Sexta: vel vt, magis expedire videbitur Pręfecto Chori ob temporis opportunitatem.

Quintò, Qui aliquod Officium exercent in Choro, v. g. Magiſtri Cæremoniarum, Thuriferarij, &c. non punctantur pro eo ſolum temporis ſpatio, quo neceſſario pro ſuo Officio abeſſe coguntur a Choro.

Declaramus autem non ſolum reliquos omnes abſentes, & non legitimè impeditos ex aliquo aliocapite, eſſe punctandos; ſed etiam hos omnes, qui ſequuntur, videlicet.

Qui in Matutino veniunt ad Chorum poſt Pſalmum. *Venite exultemus Domino,&c.* In reliquis autem Horis, poſt primum Pſalmum.

In Miſſis, poſt vltimum Kyrie.

Qui recedunt a Choro ante expletum Diuinum Officium, ſeu prius quàm ſignum detur ab hebdomadario.

Qui aduertens ſero ſe veniſſe, ac proinde iam eſſe punctatum, non ingreditur Chorum, punctatur, ac punitur in duplum.

Poſtremò omnes illi, quibus pro aliqua tranſgreſſione in Synodo impoſita eſt pœna pecuniaria: Punctatores tamen in caſibus huius Paragraphi nõ referent delinquentes in Libros Punctaturarum, niſi hoc illis fuerit iniunctum a Vicario noſtro Generali, vel a Pręfecto Chori in ijs, quæ pertinent ad ſuum Officium. Quoties vero Punctatores punctare debebunt iuſſu pręd ictorum, notabunt ſpecificè cauſam punctaturæ.

Iam

Iam vero quod ſpectat ad modum punctandi, circa feſta Natalia in fine anni duo Punctatores eliguntur, vnus ab Epiſcopo, alter à Capitulo, & vterq; antequam officio fungi incipiat, de fideliter punctando præſtet iuramentum: & deputatus quidem ab Epiſcopo in manibus Vicarij Generalis, electus vero a Capitulo coram ipſo Capitulo.

Vterq; etiam Punctator iuxta tempora pręſcripta ſuperius notet ſibi priuatim in ſingulis Horis, quinam punctari debeant, & quotidie dimiſſo Choro ſimul conuenient conferentes inter ſe quinam punctandi ſint: vt punctaturæ in vtroq; Libro conformes eſſe poſſint.

TABELLA PVNCTATVRARVM.

Pro quolibet puncto aſſignatur Bononinum vnum.

PVNCTATVRAE DIERVM FERIALIVM.

Pro	Matutino	Bon. 2.
	Prima	Bon. 1.
	Tertia	Bon. 2.
	Sexta	Bon. 1.
	Miſſa	Bon. 2.
	Nona	Bon. 1.
	Veſperis	Bon. 2.
	Completorio	Bon. 2.

DOMINICIS, ET FESTIS COMMVNIBVS INFRA ANNVM.

Pro	Matutino	Bon. 2.
	Prima	Bon. 1.
	Tertia	Bon. 4.
	Miſſa	Bon. 4.
	Sexta	Bon. 2.
	Nona	Bon. 2.
	Veſperis	Bon. 4.
	Completorio	Bon. 2.

FESTIVITATIBVS SOLEMNIORIBVS.

Pro	Matutino	Bon. 2.
	Prima	Bon. 1.
	Tertia	Bon. 6.
	Miſſa	Bon. 6.
	Sexta	Bon. 3.
	Nona	Bon. 3.
	Veſperis	Bon. 6.
	Completorio	Bon. 2.

Pro	Matutino Feſti S. Laurentij	Bon. 10.
	Matutino Natiuitatis Domini	Bon. 20.
	Miſſa in Nocte Natiuitatis	Bon. 20.
	Matutinis tenebrarum, pro quolibet	Bon. 10.
	Matutino in commemoratione Defunct.	Bon. 5.
	Miſſa	Bon. 5.
	Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti	Bon. 20.

Alijs

Alijs Proceſſ. comprehenſa illa Santiſs. Sacramenti pro quolibet. - Bon 10.

TITVLVS XIX.

De Clericis in genere.

SI quæ de vita, & honeſtate Clericorum Sacris ſunt inſtituta Canonibus reuocarentur ad vſum, fruſtra hic a Nobis labor ſuſciperetur, vt ad ipſorum mores conformandos hunc titulum poneremus. Verum cogit Nos nonullorum ignoratio, aliorum obliuio, non paucorum fortaſſe etiam malitia, vt hoc capite complectamur, & inculcemus quæcunque de vita, & honeſtate Clericorum, vel Conciliorum Decretis, vel Summorum Pontificum Conſtitutionibus, vel Prædeceſſorum noſtrorum Statutis præclarè ſancita ſunt, quo facilius habeantur ad manus, & (quod omnino mandamus) exactis ab omnibus obſeruentur, non ſolum ſub pœnis in prædictis iuribus contentis; ſed etiam infraſcriptis, & alijs noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis iudicio imponendis.

Habitum igitur, & tonſuram Clericalem conſpicuam iuxta Conſtitutionem Sixti Quinti Clerici omnes ferant: Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, diligenter inſeruiant: Cincinnos, & comam ne nutriant. Veſtes non ſint viridis, vel rubei coloris, non partitæ, ſeu diſcolores, & ſint demiſſæ vſque ad talos, excepto itinere, in quo licebit vti breuioribus: tibialia, & caligæ ſint coloris honeſti, nigri videlicet, vel violacei, vel

ſaltem

ſaltem ſubobſcuri: crepitæ, & calcei non ſint inciſi: Anulos, præter eos, quibus iure competit, ob dignitatem, nemo geſtet: Cum ſuperpelliceo nemo ſtet pro foribus Eccleſiæ, vel ad feneſtras domorum, vel prope officinas, ſeu apothecas: Extra Eccleſiam verò nullus incedat ſuperpelliceo indutus, niſi occaſione Proceſſionum, vel funerum, vel alterius Eccleſiaſtici muneris, & Officij: Habēti autē Domū propè Eccleſiā conceditur, vt cum ſuperpelliceo eat, atq; redeat; ſed tunc recta tendat, neque vlla ratione inter eundum conſiſtat. Qui hanc Decreti partem de ſuperpelliceo ſeruare neglexerit, ſi quidem ſit de corpore Eccleſiæ Cathedralis, amittat ipſo iure diſtributiones vnius diei, & a Punctatoribus punctari poſſit, ac debeat; ſi verò aliquis alius Clericus fuerit, trium iuliorum pœna toties quoties mulctetur.

Clericorum inceſſus ſit grauis, & ſedatus: aſpectus modeſtus in omnibus quidem locis, ſed præcipuè in Eccleſia. A verbis impudicis, dicterijs, immoderato riſu, murmurationibus, ſuſurrationibus, contumelijs, maledictis, periurijs, blaſphemijs omnino abſtineant. Ebrietates, commeſſationes, imo, & tabernas, excepto itinere, rixas, contentiones, factiones, ludum alearum, taxillorum, foliorum luſuriorum non ſolum deuitent, ſed nec quenquam Domi ſuæ ludere permittant, neq; huiuſmodi ludorum ſpectatores quidem eſſe præſumant.

Et quoniā nihil æquè imminuit Clericalis ſtatus dignitatem, quam ſuſpicio vanitatis, & intemperantiæ, mandamus ſuper hoc, Sacrorum Canonum prohibitio-

 tio-

tiones confirmando, & innouando, vt Clerici noſtri ſint ab his quam alieniſſimi: Tripudia ergo, ſaltationes, choreas, laruas, publica ſpectacula non ſolum fugiant, verum etiam prædictis nullatenus interſint; Vitent ſuſpectorum hominum conuerſationem, in primis autem a mulierum conſuetudine, & cohabitatione abhorreant: nec vllus audeat Domi ſuæ retinere mulierem aliquam, niſi ſit illi coniuncta in primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu; Qui ſecus fecerit manebit ipſo iure ſuſpenſus, donec talem fœminam Domi retinuerit, & alijs pœnis pecuniarijs, & etiam Carceris ad arbitrium punietur. Ancillas nemo habeat, niſi viſæ a Nobis, vel Vicario noſtro Generali tales iudicentur, tum quoad ætatem, tum quoad alia, vt omni ſuſpicione vacare merito poſſint. Inſuper ſtatuimus, vt hoc ipſo beneficio tenendi Ancillas careant illi Clerici, in quorum Domos ingreſſæ fuerint quæcunque mulieres, ſub quouis prætextu, etiam ipſis abſentibus, vbi non ſunt eorundem Clericorum Matres, vel Sorores germanæ.

Et cũ sũmopere dedeceat Deo militantes negocij ſecularibus ſe implicare: abſtineant Clerici noſtri ab omni artificio ſordido, & illiberali, à venationibus clamoroſis, ab omni ſpecie mercaturę, & negociationis, quæ licet in aliquo caſu ratione paupertatis videatur permiſſa: cenſeatur tamen prohibita ſub pœna Scutorum quinquaginta, niſi habita prius fuerit licentia ab Epiſcopo. Denique nulla ratione patiantur ſe adduci, vt Iudicis, vel Aduocati, vel Procuratoris, vel Tabellionis officio fungantur, exceptis caſibus Iure permiſſis.

Nul-

Nullum armorum genus Clerici deferant, ſiue interdiu, ſiue noctu; in itinere verò, ſi per loca periculoſa iter faciendum ſit, arma ferri permittimus, dummodo ſclopis, haſtaue non vtantur.

Domi noctis tempore ſe contineant: quod ſi quis poſt ſecundam noctis horam, niſi prælato lumine, neceſſitate cogente, deprehenſus fuerit, in carcerem duci iubemus.

Prædictis Decretis, & pœnis non ſolum ſubiacere volumus, & mandamus omnes Clericos habentes Beneficia Eccleſiaſtica, vel Ordines Sacros; ſed etiam omnes illos, qui habentes penſiones tenentur iuxta Conſtitutionem Sixti Quinti ferre habitum, & tonſuram: & præterea Clericos conſtitutos in Ordinibus minoribus, qui alicui Eccleſiæ ſunt adſcripti, & vti volunt priuilegio Fori, & Canonis.

TITVLVS XX.

De Clericis habentibus Beneficia Eccleſiaſtica.

PRæter ea, quæ de Clericis generatim dicta ſunt, meminerint habentes Beneficia Eccleſiaſtica, tam Simplicia, quam Curata, teneri ſe de iure ad non percipiendos fructus ante Bullas expeditas, & realem Beneficiorum poſſeſſionem aceptam: Ad emittendam Fidei profeſſionem, ſi Beneficia ſint curata, vel Dignitates, aut Canonicatus in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata: Ad ſoluendum annatas, & Cathedraticum de Iure, vel Conſuetudine receptum: Ad horas Canoni-

TITVLVS XVI.

De Horis Canonicis, & Diuinorum Officiorum celebratione.

HOræ Canonicæ non ſolum in Eccleſia Cathedrali quotidie publicè recitentur; verum etiam in alijs Eccleſijs Diœceſis, in illis diebus, quibus hactenus recitari conſuetum eſt: vel omnes, vel aliquæ. Et vehementer in Domino hortamur Prępoſitos, Archipresbyteros, & Curatos, vt ſaltem in ſuis Eccleſijs omnibus diebus feſtis de præcepto, & deuotione illius loci Miſſa, & Veſperæ decantentur ad ſpiritualem populi conſolationem. Clerici, qui illis Eccleſijs adſcripti ſunt, ſi prædictis Officijs Miſſæ, & Veſperarum intereſſe neglexerint, qualibet vice vnius iulij pœna puniantur, Pauperibus diſtribuenda per Vicarium foraneum.

Præter Calendarium Romanum, iuxta cuius ritum in Ciuitate, & tota Diœceſi noſtra volumus Officia Diuina celebrari, ſingulæ Eccleſiæ, tam Cathedralis, quam Diœceſis, habeant indicem, ſiue Tabellam peculiarium feſtorum, quæ ea laudabili conſuetudine, vel voti obligatione, vel alio titulo legitimo, aut a nobis approbando celebrari conſueuerunt.

Non ſolum qui Horis Canonicis ſtatutis temporibus non interfuerint, iuxta ſtilum Eccleſiæ punientur; ſed etiam quicunq; in Choro antequam Diuina inchoentur ſilentium non obſeruauerint, aut aliena ſub-

ſellia occupauerint, aut corporis habitu, vel geſtu, vel riſu minus modeſtè, & decorè ſe geſſerint, aut dum alij pſallunt, literas, libros, aliaue ſcripta legerint, aut cum aſſeſſoribus confabulati fuerint, aut pileum Clericalem, & Veſtes talares, & congruum habitum non geſtauerint, aut chyrothecis vſi fuerint, aut dum alij alta voce canunt, ipſi priuatim apud ſe horas legerint, ſeuerè per Chori Præfectum puniantur, & Punctatores, ad eiuſdem Præfecti iuſſum, delinquentes in aliquo ex ſupradictis, punctare ſub eadem pœna teneantur.

TITVLVS XVII.

De Proceſſionibus.

AD Proceſſiones tam ordinarias, quam extraordinarias a Nobis, vel Vicario noſtro Generali indicendas, quæ, ſi fuerint generales, ſemper a digniori Eccleſia proficiſci debebunt, & ordinari in Ciuitate quidem a Magiſtro Cęremoniarum, in Diœceſi vero à Vicario foraneo, vel eius ſubſtituto: Nullus Clericorum ire recuſet, ſub pœnis, vbi non ſunt punctatores, arbitrio noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis declarandis: quoties autem Proceſſiones extra locorum portas fieri contigerit, pœnam duplicari mandamus.

In Proceſſionibus Clerici vtantur veſtibus talaribus ſuperpelliceo, & pileo Clericali, niſi temporis inclementia obſtet: nec deferantur cuiuſuis generis ſigna, vexilla, Cruces, Rotę, Lanceæ, vel alia inſtrumenta martyriorum, quam quæ a Nobis, vel Vicario noſtro

fuerint apprubata nec in vijs aliquę Repræſentationes fiant.

TITVLVS XVIII.

De Punctaturis.

IN primis ſtatuendum eſt in quibus caſibus aliqui non punctentur, licet Diuinis Officijs non interſint, vnde conſtabit, qui nam ſint punctandi: Secundo declaranda eſt ratio in punctandis abſentibus habenda.

Primò non punctantur, qui abſunt temporibus, & diebus ſibi ad vacandum conceſſis.

Secundò, exiſtentes in Ciuitate, ſi tali morbo detineantur, vt ad Chorum ire nequeant, non punctantur, dummodo eodem die Domo non exeant: Vtrum autem morbus ſit talis, vt plurimum ipſorum conſcientię ſtandum eſt: aliquando tamen ſi de aliquo rationabilis ſuſpicio eſſet, quod morbum ſimulaſſet, huic iuramentum dari poterit a Vicario Generali ad inſtantiam Præfecti Chori, vel Punctatorum.

Trrtiò, exiſtentes extra Ciuitatem, ſi aſſerant ſe morbo fuiſſe detentos, non punctantur; ſed hi antequam puncturæ recognoſcantur, teſtimonium authenticum cum debita legalitate proferre debebunt, in quo Medicus cum iuramento affirmet, illum à tali die vſque ad talem diem morbo ita laborauiſſe, vt Choro intereſſe minimè potuerit.

Quarto, Qui cantant Miſſam Conuentualem, non punctantur, licet abſin t à Choro vna Hora, tantum, verbi

verbi gratia, Tertia, quę præcedit, & quę ſubſequitur ipſam Miſſam Conuentualem, v.g. Sexta: vel vt, magis expedire videbitur Pręfecto Chori ob temporis opportunitatem.

Quintò, Qui aliquod Officium exercent in Choro, v. g. Magiſtri Cæremoniarum, Thuriferarij, &c. non punctantur pro eo ſolum temporis ſpatio, quo neceſſario pro ſuo Officio abeſſe coguntur a Choro.

Declaramus autem non ſolum reliquos omnes abſentes, & non legitimè impeditos ex aliquo aliocapite, eſſe punctandos; ſed etiam hos omnes, qui ſequuntur, videlicet.

Qui in Matutino veniunt ad Chorum poſt Pſalmum. *Venite exultemus Domino,&c.* In reliquis autem Horis, poſt primum Pſalmum.

In Miſſis, poſt vltimum Kyrie.

Qui recedunt a Choro ante expletum Diuinum Officium, ſeu prius quàm ſignum detur ab hebdomadario.

Qui aduertens ſero ſe veniſſe, ac proinde iam eſſe punctatum, non ingreditur Chorum, punctatur, ac punitur in duplum.

Poſtremò omnes illi, quibus pro aliqua tranſgreſſione in Synodo impoſita eſt pœna pecuniaria: Punctatores tamen in caſibus huius Paragraphi nō referent delinquentes in Libros Punctaturarum, niſi hoc illis fuerit iniunctum a Vicario noſtro Generali, vel a Pręfecto Chori in ijs, quæ pertinent ad ſuum Officium. Quoties vero Punctatores punctare debebunt iuſſu prędictorum, notabunt ſpecificè cauſam punctaturæ.

Iam vero quod ſpectat ad modum punctandi, circa feſta Natalia in fine anni duo Punctatores eliguntur, vnus ab Epiſcopo, alter à Capitulo, & vterq; antequam officio fungi incipiat, de fideliter punctando præſtet iuramentum: & deputatus quidem ab Epiſcopo in manibus Vicarij Generalis, electus vero a Capitulo coram ipſo Capitulo.

Vterq; etiam Punctator iuxta tempora præſcripta ſuperius notet ſibi priuatim in ſingulis Horis, quinam punctari debeant, & quotidie dimiſſo Choro ſimul conuenient conferentes inter ſe quinam punctandi ſint: vt puncturæ in vtroq; Libro conformes eſſe poſſint.

TABELLA PVNCTATVRARVM.

Pro quolibet puncto aſſignatur Bononinum vnum.

PVNCTATVRAE DIERVM FERIALIVM.

Pro	Matutino	Bon. 2.
	Prima	Bon. 1.
	Tertia	Bon. 2.
	Sexta	Bon. 1.
	Miſſa	Bon. 2.
	Nona	Bon. 1.
	Veſperis	Bon. 2.
	Completorio	Bon. 2.

DO-

DOMINICIS, ET FESTIS COMMVNIBVS INFRA ANNVM.

Matutino —— Bon. 2.
Prima —— Bon. 1.
Tertia —— Bon. 4.
Miſſa —— Bon. 4.
Pro Sexta —— Bon. 2.
Nona —— Bon. 2.
Veſperis —— Bon. 4.
Completorio —— Bon. 2.

FESTIVITATIBVS SOLEMNIORIBVS.

Matutino —— Bon. 2.
Prima —— Bon. 1.
Tertia —— Bon. 6.
Miſſa —— Bon. 6.
Pro Sexta —— Bon. 3.
Nona —— Bon. 3.
Veſperis —— Bon. 6.
Completorio —— Bon. 2.

Matutino Feſti S. Laurentij —— Bon. 10.
Matutino Natiuitatis Domini —— Bon. 20.
Miſſa in Nocte Natiuitatis —— Bon. 20.
Pro Matutinis tenebrarum, pro quolibet Bon. 10.
Matutino in commemoratione Defunct. Bon. 5.
Miſſa —— Bon. 5.
Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti —— Bon. 20.

Alijs

Alijs Proceſſ. comprehenſa illa Santiſs. Sacramenti pro quolibet. - Bon 10.

TITVLVS XIX.

De Clericis in genere.

SI quæ de vita, & honeſtate Clericorum Sacris ſunt inſtituta Canonibus reuocarentur ad vſum, fruſtra hic a Nobis labor ſuſciperetur, vt ad ipſorum mores conformandos hunc titulum poneremus. Verum cogit Nos nonullorum ignoratio, aliorum obliuio, non paucorum fortaſſe etiam malitia, vt hoc capite complectamur, & inculcemus quæcunque de vita, & honeſtate Clericorum, vel Conciliorum Decretis, vel Summorum Pontificum Conſtitutionibus, vel Prædeceſſorum noſtrorum Statutis præclarè ſancita ſunt, quo facilius habeantur ad manus, & (quod omnino mandamus) exactis ab omnibus obſeruentur, non ſolum ſub pœnis in prædictis iuribus contentis; ſed etiam infraſcriptis, & alijs noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis iudicio imponendis.

Habitum igitur, & tonſuram Clericalem conſpicuam iuxta Conſtitutionem Sixti Quinti Clerici omnes ferant: Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, diligenter inſeruiant: Cincinnos, & comam ne nutriant. Veſtes non ſint viridis, vel rubei coloris, non partitæ, ſeu diſcolores, & ſint demiſſæ vſque ad talos, excepto itinere, in quo licebit vti breuioribus: tibialia, & caligæ ſint coloris honeſti, nigri videlicet, vel violacei, vel

ſaltem

ſaltem ſubobſcuri: crepitæ, & calcei non ſint inciſi: Anulos, præter eos, quibus iure competit, ob dignitatem, nemo geſtet: Cum ſuperpelliceo nemo ſtet pro foribus Eccleſiæ, vel ad feneſtras domorum, vel prope officinas, ſeu apothecas: Extra Eccleſiam verò nullus incedat ſuperpelliceo indutus, niſi occaſione Proceſſionum, vel funerum, vel alterius Eccleſiaſtici muneris, & Officij: Habẽti autẽ Domũ propè Eccleſiã conceditur, vt cum ſuperpelliceo eat, atq; redeat; ſed tunc recta tendat, neque vlla ratione inter eundum conſiſtat. Qui hanc Decreti partem de ſuperpelliceo ſeruare neglexerit, ſi quidem ſit de corpore Eccleſiæ Cathedralis, amittat ipſo iure diſtributiones vnius diei, & a Punctatoribus punctari poſſit, ac debeat; ſi verò aliquis alius Clericus fuerit, trium iuliorum pœna toties quoties mulctetur.

Clericorum inceſſus ſit grauis, & ſedatus: aſpectus modeſtus in omnibus quidem locis, ſed præcipuè in Eccleſia. A verbis impudicis, dicterijs, immoderato riſu, murmurationibus, ſuſurrationibus, contumelijs, maledictis, periurijs, blaſphemijs omnino abſtineant. Ebrietates, commeſſationes, imo, & tabernas, excepto itinere, rixas, contentiones, factiones, ludum alearum, taxillorum, foliorum luſuriorum non ſolum deuitent, ſed nec quenquam Domi ſuæ ludere permittant, neq; huiuſmodi ludorum ſpectatores quidem eſſe præſumant.

Et quoniã nihil æquè imminuit Clericalis ſtatus dignitatem, quam ſuſpicio vanitatis, & intemperantiæ, mandamus ſuper hoc, Sacrorum Canonum prohibi-

tiones confirmando, & innouando, vt Clerici noſtri ſint ab his quam alieniſſimi: Tripudia ergo, ſaltationes, choreas, laruas, publica ſpectacula non ſolum fugiant, verum etiam prædictis nullatenus interſint; Vitent ſuſpectorum hominum conuerſationem, in primis autem a mulierum conſuetudine, & cohabitatione abhorreant: nec vllus audeat Domi ſuæ retinere mulierem aliquam, niſi ſit illi coniuncta in primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu; Qui ſecus fecerit manebit ipſo iure ſuſpenſus, donec talem fœminam Domi retinuerit, & alijs pœnis pecuniarijs, & etiam Carceris ad arbitrium punietur. Ancillas nemo habeat, niſi viſæ a Nobis, vel Vicario noſtro Generali tales iudicentur, tum quo ad ætatem, tum quo ad alia, vt omni ſuſpicione vacare merito poſſint. Inſuper ſtatuimus, vt hoc ipſo beneficio tenendi Ancillas careant illi Clerici, in quorum Domos ingreſſæ fuerint quæcunque mulieres, ſub quouis prætextu, etiam ipſis abſentibus, vbi non ſunt eorundem Clericorum Matres, vel Sorores germanæ.

Et cũ sũmopere dedeceat Deo militantes negocij ſecularibus ſe implicare: abſtineant Clerici noſtri ab omni artificio ſordido, & illiberali, à venationibus clamoroſis, ab omni ſpecie mercaturę, & negociationis, quæ licet in aliquo caſu ratione paupertatis videatur permiſſa: cenſeatur tamen prohibita ſub pœna Scutorum quinquaginta, niſi habita prius fuerit licentia ab Epiſcopo. Denique nulla ratione patiantur ſe adduci, vt Iudicis, vel Aduocati, vel Procuratoris, vel Tabellionis officio fungantur, exceptis caſibus Iure permiſſis.

Nul-

Nullum armorum genus Clerici deferant, ſiue interdiu, ſiue noctu; in itinere verò, ſi per loca periculoſa iter faciendum ſit, arma ferri permittimus, dummodo ſclopis, haſtaue non vtantur.

Domi noctis tempore ſe contineant: quod ſi quis poſt ſecundam noctis horam, niſi prælato lumine, neceſſitate cogente, deprehenſus fuerit, in carcerem duci iubemus.

Prædictis Decretis, & pœnis non ſolum ſubiacere volumus, & mandamus omnes Clericos habentes Beneficia Eccleſiaſtica, vel Ordines Sacros; ſed etiam omnes illos, qui habentes penſiones tenentur iuxta Conſtitutionem Sixti Quinti ferre habitum, & tonſuram: & præterea Clericos conſtitutos in Ordinibus minoribus, qui alicui Eccleſiæ ſunt adſcripti, & vti volunt priuilegio Fori, & Canonis.

TITVLVS XX.

De Clericis habentibus Beneficia Eccleſiaſtica.

PRæter ea, quæ de Clericis generatim dicta ſunt, meminerint habentes Beneficia Eccleſiaſtica, tam Simplicia, quam Curata, teneri ſe de iure ad non percipiendos fructus ante Bullas expeditas, & realem Beneficiorum poſſeſſionem acceptam: Ad emittendam Fidei profeſſionem, ſi Beneficia ſint curata, vel Dignitates, aut Canonicatus in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata: Ad ſoluendum annatas, & Cathedraticum de Iure, vel Conſuetudine receptum: Ad horas Canoni-

cas recitandas, ſaltem priuatim, licet fortaſſe non in Choro: Ad res Eccleſiæ non alienandas: Ad ſoluendas penſiones, ſi quę forte impoſitæ ſint. Ad fructus Beneficiorum honeſtè, & laudabiliter expendendos. Qui in prædictorum aliquo deliquerit, præter pęnas in Iure contentas, arbitrio noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis punietur.

Statuimus, vt in poſterum non fiant locationes Bonorum immobilium Eccleſiæ anticipatis ſolutionibus in præiudicium Succeſſorum, exceptis locationibus Domorum, in quibus, iuxta conſuetudinem, penſionem vnius ſemeſtris tantum anticipatam permittimus: Neque locationes eorundem Bonorum, & multò minus conceſſiones in emphiteuſim fieri poſſint propinquis, aut patronis, aut ceſſionarijs, vel alio modo coniunctis, niſi nos aliter faciendum eſſe iudicauerimus pro Eccleſiæ vtilitate: & quamuis faciendarum talium conceſſionum, ſeu locationum a Sede Apoſtolica licentia impetrata fuerit: prohibemus tamen executioni mandari prius, quam prædictæ licentiæ fuerint Vicario noſtro Generali præſentatæ, & regiſtratæ, in Cancellaria Epiſcopali: Si conntrarium attentatum fuerit, declaramus eiuſmodi locationes, & conceſſiones nullas eſſe, & inualidas, & tranſgreſſores incidere volumus in pęnas omnes ſtatutas in Iure contra alienantes Bona Eccleſiæ.

Et quia animaduertimus ex emptione Cenſuum maximum damnum inferri Beneficijs, & Locis pijs, prohibemus ne in poſterum pecuniæ, quæ ex quauis cauſa, vel occaſione inueſtiri debebunt, aliter quam in

Bonis

Bonis ſtabilibus, vel in locis Montium inueſtiantur: niſi forte agatur cum alijs locis pijs, vel Vniuerſitatibus, a quibus Cenſus emi non prohibemus.

Vt Bonorum Eccleſiaſticorum, & Iurium Eccleſiarum conſeruationi conſulatur, & facilius habeatur notitia onerum, quæ ſingulis Eccleſijs incumbunt: mandamus. vt intra tres menſes, a Synodi celebratione, omnes Beneficiati teneantur conſtruere in Sacriſtia, vel in aliqua parte Eccleſię Archiuium bene munitum, cuius claues, in caſu grauis infirmitatis, conſignari debeant Vicario noſtro Generali, vel foraneo, vel antiquiori Clerico loci; nullo vero modo Conſanguineis, vel affinibus ægrotantis: & morte ſubſecuta Claues ipſæ tradantur Oeconomo deſignando, vel Succeſſori: In quo Archiuio, aut in pluribus Codicibus, aut in vno notentur omnia infraſcripta.

1 Bona ſtabilia, & Cenſus Eccleſiæ.
2 Bona mobilia, & vtenſilia ſpectantia ad Eccleſiam.
3 Inſtrumenta, Apodiſſæ, & Contractus.
4 Solutiones onerum Cameralium, vel Epiſcopalium, tam ordinariorum, quam extraordinariorum, penſionum, & Canonum.
5 Decreta Synodalia, & viſitationum.
6 Miſſæ, anniuerſaria officia, & alia onera annexa Eccleſiæ.
7 Indulgentiæ, priuilegia, vniones, & iura quæcunque ad Eccleſiam ſpectantia.
8 Memoria Conſecrationis Eccleſiæ, vel Dedicationis.

9 Inuentarium Sacrarum Reliquiarum, ſi adſint.

Mandamus autem, vt exemplum omnium ſupradictorum omnes infra ſex menſes deferre debeant ad Cancellariam Epiſcopalem, ſub pœna amiſſionis dimidiæ partis fructuum vnius anni, niſi cauſas legitimas attulerint, quo minus paruerint.

TITVLVS XXI.

De Conferentia Caſuum Conſcientiæ.

CONueniant Parochi, & alij de Clero bis in menſe coram Vicario foraneo ad habendam conferentiam Caſuum Conſcientiæ, iuxta formam inferius traditam à Nobis: qua abſoluta, remotis alijs Clericis, Parochi ſimul conferant de omnibus, quæ ad maiorem Dei gloriam, & Animarum ſuarum ſalutem expedire videbuntur, quæ ſi grauiora fuerint, quam vt per ipſos diffiniri poſſint, ea ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem deferant.

Forma Collationis Caſuum Conſcientiæ coram Vicarijs foraneis habendæ.

VIcarius foraneus tanquam Præſes Collationum Caſuum Conſcientiæ ſeſſionibus ſingulis in albo proponet in loco cogendarum Collationum duos Caſus Conſcientiæ diſcutiendos in ſequenti ſeſſione, vnicuiq; Caſui ſubijciet nomen vnius, qui ſic præmonitus illum referre, ſuam opinionem primus ponere, & difficul-

cultatibus, quę ab alijs circa eundem Caſum proponentur, reſpondere teneatur: denotabitq; Vicarius præfatus in eodem albo locum, menſem, diem, & horam futuræ Collationis, vt tempore intermedio ſinguli ſe valeant præparare. Die condicta, omnibus congregatis, & genuflexis; Prę ſes recitabit collectam: *Actiones noſtras quęſumus Domine, &c.* in fine omnes reſpondeant: *Amen*. Deinde ſurgentes ſedebunt hinc, inde in capite, in medio omnium Vicarius foraneus præſidebit, habẽs ante Sedem ſuam menſam aliquam paruam, cum horologio, & campanula, qua ſignum detur initij, & finis Collationis, vel ſilentium aliquando nimis prolixis, imponatur. Tunc Præſide iubente, primus Caſus a pręmonito explicabitur, ille ſuam ſententiam dicet, rationibus confirmabit, & contraria, ſi quæ occurrant, diluet: Deinde ſinguli per ordinem quid de illo Caſu ſentiant reſpondebunt. Quibus omnibus auditis, Præſes ex his, quæ ab omnibus dicta fuerint, colliget, & determinabit ſententiam tutiorem, & probabiliorem.

Eodem ordine ſecundum poſtea Caſum excutiant.

Hoc acto Pręſes admonebit, ſi quis dubiũ aliquod, ſiue circa pręmiſſos Caſus, ſiue aliàs, habet, in medium proferat, vnuſq; ex duobus pręmonitis, Pręſide annuente, reſpondeat: ipſo tandem Pręſide, quid ſentiendum videatur, edocente. Singulis ſeſſionibus tempus vnius ſaltem horæ inſumant.

Sic terminata Collatione, Præſes diem futurę Collationis indicet. Poſtremo omnes denuo genuflectant, dato a Præſide ſigno, ipſe tunc recitet Collectam; *Agimus tibi gratias Omnipotens Deus, &c.* omneſque re-

ſpon-

ſpondeant: *Amen*.

Animaduertat Præſes, vt Caſus in albo pręſcribendos, non vagè, ſeu fortuito eligat; ſed eandem quadripartitam materiam, quantum fieri poterit proſequendo. Primo ſiquidem anno proponentur ex materia de Sacramentis, tam in genere, quam in ſpecie. Secundo anno, ex materia de Cenſuris Eccleſiaſticis, & Irregularitatibus deſumantur. Tertio anno, ex Pręceptis Decalogi, & Sanctæ Matris Eccleſię. Quarto demum anno, ex materia de Iuſtitia, & Iure, ſcilicet de obligatione reſtituendi, de Contractibus, & Teſtamentis, de Beneficijs, & annexis obligationibus. Poterit tamen ſi aliquis Caſus interdum de facto acciderit diſcuſſione dignus, illum in albo proponere in collatione ventilandum, intermiſſa tantiſper materia conſueta. Pręmonendorum quoque ordo, & ſeries obſeruetur, vt ſingulis per circulum, turnum idem munus imponatur.

TITVLVS XXII.

De Societatibus Laicorum.

IN primis omnibus Confraternitatibus, tam Ciuitatis, quam Diœceſis præcipimus, vt infra menſem, ab huius Decreti publicatione, deferant ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem Libros Conſtitutionum, ſeu Regularum, ſeu Decretorum, & Ordinationum, quibus vnaquæq; regitur, & gubernatur: vt conſtare poſſit, an aliquid mutandum, addendum, vel detra-

detrahendum ſit:quod ſi Officiales id pręſtare neglexerint,præter Officij priuationem, arbitrio noſtro,vel Vicarij noſtri Geueralis ſeuerè punientur.

Priores, Syndici, Conſeruatores, cæteriq; Officiales extracti, antequam ad Officia, & adminiſtrationem admittantur, coram Nobis (in Ciuitate quidem) vel Nobis abſentibus, coram noſtro Vicario Generali; in Diœceſi vero coram Vicarijs foraneis compareant ad ſuſcipiendum iuramentum de fideliter adminiſtrando, & ſuis loco, & tempore reddenda ratione adminiſtrationis. Hortamurq; eoſdem in Domino, vt eiuſmodi iuramento præſtito, mane, antequam incipiant adminiſtrare, præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ſimul omnes Officiales communicent.

Non poſſint eleemoſynas ſolitas pro libito erogare; ſed fiant ſchedulæ per Cancellarium Confraternitatis, in quibus deſcribatur quid, quantum, quibus perſonis, erogandum ſit, & ipſæ ſchedulæ per vnnm ex Prioribus ſubſcribantur, & alter imprimat ſigillum Confraternitatis: & ne generetur confuſio, regiſtrentur in Libro ſecundum tempus, quo fuerunt factę ordine ſucceſſiuo.

Habeant librum Actorum, in quo quicquid ab ijs, qui magiſtratum gerunt, aut in communi Conſilio decernitur, per Societatis Scribam notetur, addito anno, menſe, & die, quo, quidq; decretum fuerit. Item librum habeant, in quo ſcribantur quæ donata, obligataq; Societati erunt:

 die

die pariter addito, vt ſupra.

In alium librum Legata Sodalitatis, Legatorumq; onera, & omnes pręterea ſumptus ordinarios, tam qui in Diuinum Sacrificium, reſq; alias ſacras, quam qui in neceſſarias eleemoſynas fiunt, referantur.

Poſtremò, proprio quoque libro deſcribi Bona omnia immobilia, Iura, & Actiones, nec non mobilium, & ſingularum rerum Inuentarium fieri, præcipimus.

Initio cuiuslibet anni computa generalia totius anni decurſi reddantur, in Ciuitate quidem coram Vicario noſtro Generali, vel ab eo deputato; in Diœceſi vero, coram Vicario foraneo, interuenientibus duobus electis à toto corpore Confraternitatis, & primo Officiali eiuſdem: Reperti autem debitores Confraternitatis non poſſint admitti ad vllam compoſitionem, abſq; noſtra licentia, ſed conceſſa, ſi videbitur, competenti dilatione, cogantur ad effectualem ſolutionem. Quod ſi Priores, ſeu alij Officiales admiſerint eos ad compoſitionem, vel dilationem incompetentem conceſſerint, vel fecerint Inſtrumentorum nouationes; teneantur ſatisfacere de proprio, perinde ac ſi ab initio in ſolidum obligati fuiſſent.

Qui adminiſtrauerunt Bona Confraternitatis, & computa non reddiderunt, non poſſint extrahi ad alia Officia: & ſi extrahantur non poſſint adminiſtrare, niſi prius computa reddiderint, & ef-

fectu a-

ſectualiter totum debitum ſoluerint. Et nihilhominus, quia fortaſſe aliqui debitores ob debita non ſoluenda, non curarent Officia, & adminiſtrationes: tunc, & eo caſu concedatur eis, cum noſtro tamen conſenſu, competens aliqua dilatio, qua elapſa, cogantur omnibus legitimis remedijs ſolurre, & adimplere omnia, ad quæ de Iure tenentur.

Non poſſint Officiales, nec tota Confraternitas ſimul, imponere Cenſus, & obligare Bona eiuſdem ob quamlibet vrgentem neceſſitatem, niſi à Nobis, vel, Nobis abſentibus, à noſtro Vicario Generali habita fuerit licentia. Obſeruent quæ de emptione Cenſuum ſtatuimus ſupra Titulo xx. *De Clericis habentibus Beneficia Eccleſiaſtica.*

Inſuper ſi qua Confraternitas habeat montem grani, teneantur Deputati diſtributionem illius facere bis, ſingulis annis, primò circa feſta Natiuitatis Domini; ſecundò circa Paſcha Reſurrectionis: & debeant effectiuè exigere mutuatum per totum menſem Auguſti: nec vllo modo posſint renouare Inſtrumenta cum debitoribus. Quod ſi adhuc Confratres granum ſibi mutuatum reſtituere neglexerint per totum dictum menſem, eiuſmodi ſubſidio per duos annos careant, & nihilhominus ad reſtituendum debitum compellantur.

Depoſitarios non admittant, niſi cum obligatione, & cautione reddendi rationem de proprio, tam exactorum, quam non exactorum.

Bullectæ, vel ſchedulæ regiſtrentur in libro

 or-

ordine ſuccesſiuo, & non ſoluantur, niſi Confraternitatis ſigillo, & ſubſcriptione duorum ex Prioribus munitæ fuerint.

Nemo ex Confratribus indutus habitu Sodalitatis arma cuiuſuis generis deferat, ſub pœna etiam corporali arbitrio noſtro infligenda, iuxta qualitatem armorum, quæ detulerit.

Teneantur Scribæ, vel Cancellarij Societatum hæc Decreta infra menſem comparare, & Societatibus ſuis in prima Congregatione intimare, & in loco quò Sodales conueniunt continere, vt publicè omnibus pateant.

TITVLVS XXIII.

De pijs Relictis manifeſtandis.

NE piæ decedentium voluntates ſuo fruſtentur effectu, omnibus, & ſingulis Notarijs, Cancellarijs, & quocunque vocentur nomine, diſtrictè præcipimus, & mandamus, vt ſingulis annis per totum menſem Decembris deferant ad Cancellariam Epiſcopalem copias ſimplices omnium Relictorum ad pias cauſas, de quibus ipſi rogati fuerint: quod ſi deferre omiſerint, volumus, ipſo facto, eos Excommunicationi, abſque alia declaratione, incurrendæ, ſubiacere.

Quæ vero Legata pia ad Epiſcopum delata fuerint, Cancellarius Epiſcopalis in librum, ad hunc

vſum

vſum comparatum, referet omnia: ne temporis longinquitate è memoria dilabantur.

Et ne aliquem excuſet ignorantia, Parochis omnibus, & ſingulis præcipimus, vt Decretum hoc de Legatis pijs ter, aut bis, ad minimum, quotannis Populo promulgent.

TITVLVS XXIIII.

De profanis ædificijs Sacras AEdes contingentibus.

SI AEdificium aliquod Laicorum Sacras AEdes, aut Oratorium contingens Epiſcopus animaduerterit, ſtudeat cognoſcere quo Iure, ac poteſtate huiuſmodi AEdificium fuerit conſtructum: quod niſi bono Iure ædificatum fuerit, dirui iubeat; At ſi æquo Iure conſtructum agnouerit, ſed ſordidis vſibus deſtinatum, veluti Lanienæ, Officinæ Ferrarię, barbitonſoriæ, & huius generis ſordibus, ad honeſtiorem, atque decentiorem vſum conuertet, immunditias, ſordeſque, quas ibi repererit, omnes amouendo.

TITVLVS XXV.

De reuerentia debita Eccleſijs, & locis ſacris.

CAueant cuiuſq; ſint ordinis Clerici ne exules homines, facinoroſos, criminoſos, æreq; alieno

no grauatos, ad ipſorum loca Sacra, tanquam ad Aſylum confugientes, recipiant. Si autem horum aliquis, inſcijs, vel inuitis Clericis, in huiuſmodi loca ſe ſe receperit, Epiſcopus ſtatim hac de re certior fiat, qui (ſalua Eccleſiæ immunitate) quæ opportuniora fuerint, remedia adhibebit.

TITVLVS XXVI.

De Meretricibus.

QVoniam non ignoramus, quot malorum cauſas ſępiſſimè præbuerint meritorię Mulieres in publica Diuerſoria ſuſceptæ: Cauponibus, omnibuſque publica Diuerſoria ad ſuſcipiendos hoſpites colentibus, præcipimus ne vllo pacto Meretricibus in ſuis Hoſpitijs diuerſari, commorariq; permittant; itineris autem gratia, non tamen vltra vnicum diem, ſuſcipi poſſe concedimus: Qui ſecus fecerit, meritas pœnas arbitrio noſtro luet.

MOnentur Parochi, vt ſtatim ac Domum redierint, inter Miſſarum ſolemnia, quàm breuiſſimè potuerint, populum certiorent de ijs Ordinationibus, quę ad ipſum pertinent: quod ſi commodè vna vice omnia referre non poſſint, omiſſa in ſequentibus referuent.

HActenus Decreta Reformationis toti Ciuitati, ac Diœceſi communia; quæ cum per me Notarium infraſcriptum alta, & intelligibili voce perlecta fuiſsent, omneſq; reſpondiſſent ſibi placere; ab Eminentiſs. & Reuerendiſs. Domino Cardinali Epiſcopo deputati, ac nominati ſunt ſequentes Officiales.

Examinatores Synodales.

Admodum RR. DD.
Ioannes Carolus Nardinus Archidiaconus I. V.D.
Petrus Roncettus Archipreſbyter,
Petrus Paulus Ceccoſauus Canonicus I. V. D.
Tiberius Crucius Canonicus, & Theologus Cathedralis.
Nemeſius Cincius Canonicus I. V. D.
RR. DD.
Petrus Paulus Marina Præpoſitus Collegiatę Sublacen.
Ioannes Maria Saluatus Archipreſbyter Anticuli. I. V. D.
Petrus Buttafocus Archipreſbyter Montis Celij. I. V. D.

SVcceſſiuè DD. Examinatores Synodales ſupradicti iurauerunt, tactis Sanctis Euangelijs, in manibus Eminentiæ Suę, ſe ſe mandatum ſibi Examinatorum munus fideliter, atq; integrè, omni priuato ſtudio, affectuque poſthabito, ex Tridentini Concilij præſcripto executuros.

Iu-

Admodum RR. DD.
Ioannes Carolus Nardinus Archidiaconus. I. V. D.
Petrus Roncettus Archipreſbyter
Petrus Paulus Ceccoſauus Canonicus. I. V. D.
Tiberius Crucius Canonicus, & Theologus Cathedralis.
Nemeſius Cincius Canonicus. I. V. D.

RR. DD. Vicarij Foranei.

Petrus Paulus Marina Præpoſitus Collegiatæ Sublaci qui habeat
Sublacum,
Cerbariam.
Cameratam,
Auguſtam,
Maranum,
Roccam Medij,
Roccam S. Stephani,
Cerretum,
Ieranum,
Roccam Cantaranam,
Cantaranum.
Ioannes Ægyptius Præpoſitus Terræ Vicouarij, qui habeat
Vicouarium,
Roccam Iuuenem,

Li-

Licentiam,
Ciuitellam,
Cantalupum,
Cicilianum,
Caſtrum Madamæ,
Caſtrum Sambuci.

Ioannes Maria Saluatus Archipreſbyter Anticuli, qui habeat
Anticulum,
Rubianum,
Saracineſcum,
Scarpam.

Gentilis Rocchinus Archipreſbyter Riui frigidi, qui habeat
Riuum frigidum,
Vallem frigidam,
Viuarium,
Terram Arſularum,
Percilium.

Benedictus Factorius Archipreſbyter Poli, qui habeat
Polum.
Guadagnolum,
Caſam Corbulam,
Sanctum Gregorium.

Britius Natalitius de Monte Celio, qui habeat
Montem Celium,
Sanctum Polum,
Caſtrum S. Angeli in Monte Patulo.

A Cta fuere ſupradicta Tibure, in Aula Palatij Epiſcopalis, ob fabricæ Cathedralis impedimentum, præſentibus Admodum RR. DD. Vito Venerio de Recineto, & Franciſco Sinibaldo de Sancto Elpidio ad mare Firmanæ Diœceſis, Eminentiſs. Epiſcopi prædicti, familiaribus, Teſtibus ad prędicta ſpecialiter habitis, vocatis, atq; rogatis. Anno Domini Milleſimo, Sexcenteſimo, Trigeſimo ſexto, Indictione quarta, Die decima octaua Decembris; Pontificatus Sanctiſs. in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno decimo quarto.

EGo Ioannes Franciſcus Capitoſtus de Monte Octeno Firmanę Diœceſis Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, Curiæ Epiſcopalis Tiburis Cancellarius, de præmiſſis rogatus, præſens publicum Actorum Synodi Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui. Salua, &c.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE